



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac
de ejus voluntate, & Providentia

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Approbatio Academiae Burdigalensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)

Approbatio Academiae Parisiensis.

Decreto Sacrae Facultatis Parisiensis, superimponitur suffragium hocce commendatitium perpetuis istis Commentariis, quibus insudavit labore improbo, omnibus probando, Reverendus admodum Pater JOANNES BAPTISTA GONET, Biterrensis, Ordinis Fratrum Praedicatorum, Provinciae Tolosanae, strictioris observantiae, atque in Academia Burdigalensi Antecessor. Quod quidem opus suum jam tum propalatum sub titulo, *Clypei Theologiae Thomisticae*: Jamnum incudi suae reddidit, & per tunctiones assiduas, tot eruditissimis accessionibus amplificavit, ut non tam illud ipsum, quam novum opus nova fabricatione coagmentatum coaluisse videatur; sic Clypeus ille factus est SEPTIMUM ingens, absque quo tamen stipendiarius factus sit opifex ejus & imperturbabilis malleator, citra quam auctorem praeponderaret non tantum Clypeo septemplex nominatissimo, sed etiam quingentis scutis aureis quae fecit Salomon, non seposito illo uno in ejus laminas auri sculos dederat sexcentos, ita ut in unico isto instrumento militari, quasi in armamentario instructo, talem sibi accingant armaturam nostri Palaestritae candidati, qualem videre est dum insequitur nimbus peditum, clypeataque totis agmina densantur campis; nisi quod ita Clypeo huic inseritur machaera, ut lepide dictum usurpemus, *hic scuti dulcior usus erit, cum tota Clypeum pro classe tenebunt*. At enim mirum quantum Author hic classicus, alioquin vitae cenobiticae assecla, minutiosos operosus exegit vigilias, quando nusquam a scripturae & lucubratione sibi dederit ferias in recedendo seuto, quod juris faceret publici. Porro omnia sic sunt in hoc opere concinna, & fidei consona, ut nihil nervosius, nihil elaboratius, nihil argutius, solidius nihil. Hujus Clypei caelatura (adinftar veterum) perhibet communia Fidei dogmata, sensa Patrum enodata, morum beneplacita regulata, nil denique desideratur, quo scientissimi evadant sacris initiati concentrationibus, atque adeo armatissimi in pia palaestra comparebunt, Antesignano & praevio duce isto Clypeato, quem ubique sentiant affici quod loquitur, quem utique loquentur omnium ora commilitonum, quorum ingentes animas aeternitati sui operis vestigales habebit: nec enim minoris pretij auctoramentum illi debetur, & cujus futura ingenij Clypeata Theologia Angelica, felicitus quam Pallas armata, e Jovis cerebro prognata, terribilamentum erit erroribus. Et quia adoptivo jure inter filias suas connumerat Academiam Burdigalensem, Alma Facultas Parisiensis, hinc est, quod praelaudatum Professore ejusdem Academiae Gonetum, quasi conspicuum inquilinum, benevolentiae suae gratia cumulatam voluit, ut qui divinae scientiae apicem, nullo refragante calculo, summi sui beneficio ingenij attrigisse noscitur. Conseripsi ego Doctor Theologus Facultatis Parisiensis, sexto Kalendas Maij, Anno Domini M. D. C. LXIX. a Comitibus ejusdem Facultatis mensibus Aprilibus.

CHAPELAS;

Curatus S. Jacobi a Maetabovia.

Approbatio Academiae Burdigalensis.

Operis Theologici quod inscribitur *Clypeus Theologiae Thomisticae contra novos ejus impugnatores*: Authore P. F. JOANNE BAPTISTA GONET, Ordinis Fratrum Praedicatorum, Sacrae Theologiae in Academia Burdigalensi Professore, & Antecessore, quinque Tomos in universam Doctoris Angelici Summam, diligenter evolvimus, & quaecumque in illis doctè, perspicuè, & subtiliter agitantur, ad amissum expendentes, nihil fidei, nihil pietati, nihil probis moribus adversum, Sacris Paginis consona omnia judicavimus: exponi omnia luculenter ad majestatem argumenti, digna omnia, quae publicae utilitati in lucem quamprimum ederentur. Quae unanimi studioforum omnium plausu, praegentem audivimus, ea probamus; eosdem ubique doctrinae sibi familiaris imbres, scribens extillat, & erudiens. Quare hoc opus suum typis exarare meditati, libentissimè suffragamur, atque in certam hujus Academici foetus commendationem, Chirographum nostrum appingere volumus. Datum Burdigalae die 5. Januarij anni 1659.

FONTENEIL Cancellarius.

LOPES Ecclesiastes Burdigalensis, Doctor Regens.

Fr. ARNALD Augustinianus.

Fr. ANDREAS TOYTON Ordinis Carmelitarum.

Licentia Reverendissimi Patris Generalis.

Nos Frater JOANNES BAPTISTA DE MARINIS, Sacrae Theologiae Professor, Ordinariusque Praedicatorum humilis Magister Generalis & Servus. Harum serie, nostrique auctoritate Officij, Tibi R. P. F. Joanni Baptistae Gonet, Sacrae Theologiae Professore, Conventus nostri Burdigalensis, Provinciae Tolosanae, licentiam facimus & facultatem, publicis typis committendi opera Theologiae a te composita: modo prius a tribus in Theologia Magistris vel Professoribus Ordinis nostri, a Reverendo admodum Patre Provinciali Tholosano deputandis, fuerint approbata. Servatis insuper, juxta sacros Canones, Decreta Summorum Pontificum, Constitutiones nostras, & Capitula generalia, servandis. Datum Romae die 3. Februarij anni 1658.

Fr. JOANNES BAPTISTA DE MARINIS Magister Ordinis. Registrata folio 80.

Fr. JACOBVS BARELIER Magister & Socius.